[illegible] eos [illegible] capti[vitatem]
Et convertam captivita
tem [illegible] mei isrl. et hedi
ficabunt civitates deser
tas et habitabunt eas. et pla
tabunt vineas. et bibent
vinum eorum. et facient or
tos et comedent fructus
eorum. Et plantabo eos
sup humum suam. et non
evellam eos ultra de terra
sua quam dedi eis. Dicit
dominus deus. Visio
[illegible] te in qui i altis

[illegible] mentis sepe
[illegible] in eo aperte in
platea que erat ante portam
aquarum a mane usque ad
medium diem in conspectu vi
rorum ac mulierum et sapientium
et aures omnis populi
erant erecte ad librum. Ste
tit autem hesdras scriba sup
gradum ligneum quem fece
rat ad loquendum. Et ste
terunt iuxta eum. Et ap
peruit hesdras librum coram
omni populo. Et benedix

Capucine Libro primo

ORDO
ADMITTENDI VIRGINES
AD MONASTERII
INGRESSVM,

Habitumq; regularem suscipiendi, Ritus item seruandus ad professionis emissionem, ad Prouintiæ Mediol. vsum

Iussu

Illustrissimi, & Reuerendissimi D. D. Federici Cardinalis Archiepiscopi editus.

MEDIOLANI,
Apud hær. quon. Pacifici Pontij, & Ioan. Baptistam Piccaleū Impressores Archiepiscopales. MDCIII.

ORDO
ADMITTENDI VIRGINES
AD MONASTERII
INGRESSVM,

Habitumq; regularem suscipiendi, Ritus item ser-
nandus ad professionis emissionem, ac Pro-
uintiæ Mediol. usum

Iussu

Illustrissimi, & Reuerendissimi D. D. Federici
Cardinalis Archiepiscopi editus.

MEDIOLANI,
Apud hær. quon. Pacifici Pontij, & Ioan. Baptistam Piccaleſi
Impressores Archiepiscopales. MDCIII.

DE ACCESSV,
ET INGRESSV PVELLARVM AD MONASTERIVM.

CVM primum Puella ad religionem admissa fuerit, statim omnes vestiũ luxus, inanemq; ornatum deponat, & nigro, vel fusco vestitu, aut albo, at non serico, induatur, ea modestia, & submissione, vt omnes intelligãt, eam mundo renuntiasse, vt Deo religiosè inseruiat; quo vestitu ad Monasterium perducatur mane ab intimis tantum, cognationeq; propinquioribus mulieribus nulla pompa, nulloque inuitatu aliorum.

In Ecclesia exteriori ante Altare oret, Missæque intersit, in qua sanctissimam Eucharistiam sumat, tum Missa absoluta Confessarius Monasterij, vel alius ad id delegatus, cotta, & stola indutus ei crucem tradat dicens. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. *Luc. 9.*

Puella reuerenter capiens, & deosculans crucem. Resp. Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego mundo. *ad Galat. cap. 6.*

Deinde Confessarius, vel alius vt suprà, coronam capiti eius imponit dicens. Dabit Deus capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. *Prou. c. 4.*

Puella caput coronæ submittens dicit. Impinguabit Deus in oleo caput meum, & inhabitabo in domo *Psal. 22.*

Domini, in longitudinem dierum.

Postremo Confessarius deducit puellam ad Ianuam Monasterij dicens. Si viceris, faciet te Deus colum-
Apoc. 3. nam in templo, & foras non egredieris amplius.

Psal. 121. Puella dum procedit respondet. Lætata sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Moniales hoc tempore procedent ad ianuam Monasterij, & expectabunt, donec puella peruenerit, quæ ibidē genuflexa leuiter Monasterij valuas clausas percutiet semel, atque iterum, nihil dicens. quo facto præfecta Monasterij clara voce dicit. Pacificusne est ingressus tuus? Puella respondet eadem voce, itaut in-
1. Reg. 16 uicem audiantur. Pacificus ad immolandum Domino, veni. Et tunc apertis ianuis sola puella intra sepia Monasterij excipitur, & statim clauduntur ianuæ, canentibus Monialibus antiphonam. Benedicta, quæ venit in nomine Domini. Et præcedente cruce, alijsq; Monialibus, Præfecta vltimo omnium loco eam præ manibus habente, fit processio ad ecclesiam interiorem, & cantatur psalmus, vt infra.

Psalmus 83.

QVàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea: exultauerunt in Deum viuū.

Etenim passer inuenit sibi domum: & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: rex meus & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum

culorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.

Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies vna in atrijs tuis: super millia.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam dabit Dominus.

Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto. &c.

Confessarius verò, & alij omnes redeunt ad ecclesiam exteriorem, vbi expectant donec prædictus Psal. perficiatur; quo absoluto. Confessarius stans ante Altare dicit in tono

℣. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuũ.

℟. Ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

PRotege quæsumus omnipotens Deus famulam tuam diuinis rebus inherentem, vt & corpore tibi famulent, & mente. Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. &c.

℣ Do-

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Quòd si forsan eodem die Puella habitum induere debeat, eidem tradatur seruato ritu, vt infra, omissis tamen in Ingressu Monasterij supradicto, ijs omnibus, & singulis, quæ in traditione habitus per agenda sunt.

DE RATIONE TRADENDI, ET INDVENDI HABITVM MONIALEM.

RELIGIOSVS tradendi habitum monialium ritus vel ab ipsomet Archiepiscopo præsterur, vel ab eius Vicario generali, alioue de eius mandato, cui tamen adsint Confessarius Monasterij, tresque, vel duo saltem Acolythi pro ministerijs opportunis, vt infrà, peragendis.

Cum ergo constituta erit dies, qua habitū induat, Puella peccata primum sua confiteatur, seseque præparet ad sanctissimam Eucharistiā in Missa celebrandæ sumendā, tum hora competenti, veste alba, non tamen serica, induta, capillis super humeros expansis, in capite serta virentia habens, à Præfecta ad Ecclesiam interiorem deducatur, prosequentibus alijs Monialibus & cadentibus Psal. vt infra. Psalmus 41.

QVemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuū: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus.

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.

In

In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea: & quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonijm à monte modico.

Abyssus abyssum inuocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui: super me transierũt.

In die mandauit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum eius.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, & quare conturba me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus. Gloria Patri &c.

Archiepiscopus hoc tempore venit ad Ecclesiam exteriorem, & recipitur in lumine Ecclesiæ à Confessario Monasterij, qui præbet ei aspersorium, quo se ipsum, aliosque aspergit: ante Altare orat, tum ab ea parte chori, vbi est fenestella Communionis pro Monialibus, in faldistorio ad hoc dispositio, pannisque strato induitur à Ministris suis alba, cingulo, amictu, cruce pectorali, stola, pluuiali albi coloris, & mitra sim-

simplici, & accipiens baculũ pastoralem vadit ad prædictam fenestellam, duobus ex Ministris superpelliceo indutis assistentibus, pluuialeque eleuantibus, vbi sedens cum mitra interrogat Puellam genuflexam, quæ librum hunc præmanibus habeat, respondeat, aliaque peragat ad præscriptum, vt infrà.

Reuer. Quid quæris filia?

Virg. Vnam petij à Domino, hanc requiro, vt in habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; vt videam voluntatem Domini, & visitem templum eius: dilexi decorem domus Domini, & locum habitationis gloriæ eius. *Psal.26.* *Psal.25.*

Reuer. Sic ne statuisti in corde tuo firma, non habens necessitatem, potestatem autem habens tuæ voluntatis? *1.ad Cor. 7.*

Virg. Sic iudicaui in corde meo, & voluntariè sacrificabo Domino, & confitebor nomini eius, quoniam bonum est: elegi enim abiecta esse in domo Dei mei; magis quàm habitare in tabernaculis peccatorũ: hæc igitur requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. *Psal.53.* *Psal.83.* *Psal.131.*

Reuer. Si ergo in domo Domini habitare desideras, egredere & tu cum patre Abraham de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, vt venias in terram promissionis, idest in domum religionis, quam tibi monstrauit Dominus, & benedicat tibi. *Gene. 12.*

Virg. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Ecce elungabo fugiens, & manebo in solitudine, expectans Deum, qui me saluam *Psal.54.*

iam faciat: quid enim mihi est in cœlo, & à Domino quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea, tu Deus in æternum; quia ecce qui elungant se, à te peribunt; perdidisti omnes fornicantes abs te; mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Psal. 72.

Completa interrogatione Reuerendissimus præbet illi per fenestellam Crucem dicens.

Reuer. Accipe soror carissima Crucem Domini nostri Iesu Christi, tanquam vexillum tutissimum contra omnes insidias inimici, vt crucifixa mundo cum carnis mortificatione sub iugo veræ obedientiæ possis in consortio sanctarum virginum, cum ipso Domino Iesu Christo perenniter triumphare. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tunc Virgo accepta cruce, & deosculata inchoat psalmum infrascriptum, tum incedit ante omnes Moniales, quæ exeunt in processionem, circumeundo claustrum propinquum Monasterij canentes Psalm. infrascriptum. Psalmus 125.

IN conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis.

Magnificauit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Con-

Conuerte Domine captiuitatem nostram: sicut torrens in Austro.
Qui seminant in lacrymis: in exultatione metent.
Euntes ibant & flebant: mittentes semina sua.
Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos. Gloria patri. &c.

Dum huiusmodi processio à Monialibus peragitur, Archiepiscopus benedicit habitum, & velamina ab Acolytho exhibita, stans sine mitra, vt infra.

De benedictione vestium.

℣. Deus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria Patri &c. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Alleluia.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DOmine Iesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es; obsecramus immensam pietatē tuam, vt hoc genus vestimenti, quod Sancti Patres nostri ad mundi contemptum, & in humilitatis indicium abrenunciantibus sæculo, ferre sanxerunt, tu ita bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris, vt hæc famula tua N. quæ illo vsa fuerit, te dominum, & saluatorem suum induere mereatur. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

De

De benedictione velaminum.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DOmine Iesu Christe filij Dei viui, cuius Apostolus muliebrem sexum in signum subiectionis, humilitatis, & honestatis, velamen super caput suum propter angelos habere præcepit, cuiusq; oculos tempore acerbissimæ passionis tuæ ad opprobrium peccatores impij velauerunt, quæsumus, propter gloriam honorandi nominis tui tam copiosam benedictionis tuæ super his velaminibus infunde virtutem, quòd famulam tuam .N. illa gerentem, tibi subiectam in omnibus, & cuicunque tenetur ex ordine, quem assumit, efficiant, ne proprias virtutes, & bona concernens in gloriam elata te perdat, sed in vera humilitate conseruent, & obumbrent, ab omni etiã oculos eius vanitate compescant: demum turpissimæ mortis tuæ dulcis sponsi sui memoriam hoc viduitatis indicium sæpe mentis eius oculis repræsentent, & radicibus cordis continuò recolendam tenacius astringant, vt cum hac galea salutis, tanquam socia passionis tuæ, consolationem tecum æternam, cum omni curia cœlesti semper valeat experiri. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Pro-

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Completa benedictione Archiepiscopus sedet cum mitra, tum altero ex Ministris Thurribulum porrigente, altero vero Nauiculam ministrante, &, dicente. **Benedicite Pater Reuerendissime,** cum osculo cochlearis, & manus Archiepiscopi accepto cochleari, sumit cum eo ter ex nauicula thus, illudq; etiam ter in thuribulum immittit dicens interim. **Ab illo benedicaris, in cuius honore cremaberis.** quo facto ac reddito cochleari eidem ministro, qui rursus manum, & illud osculatur, ipse Archiepiscopus producit manu dextera signum crucis super thus in thuribulo, deinde stans cum mitra, accepto aspersorio de manu alterius Ministri cum osculis prædictis, habitum & velamina ter aspergit, mox eodem modo accepto Thuribulo eadē omnia thurificat. Postremò, Monialibus ad ecclesiam reuersis, deponens pluuiale accipit planetam, & cum mitra, baculoq; pastorali procedit ante Altare, vbi deposita mitra genuflexus inchoat, prosequentibus Monialibus. Hym. **Veni creator.** Et dicto primo versu, surgit stans sine mitra donec perficiatur.

Hymnus.

V e ni Cre a tor Spi ri tus
Mentes tuorum visita,

Imple

Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui paracletus diceris,
Donum Dei altissimi,
Fons viuus ignis charitas,
Et spiritalis vnctio.
Tu septiformis munere.
Dexteræ Dei tu digitus,
Tu ritè promissum patris,
Sermone dittans guttura.
Accende lumen sensibus.
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpetim.
Hostem repellas longius.
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te preuio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da patrem,
Noscamus atque filium,
Te vtriusque spiritum,
Credamus omni tempore.
Gloria Patri Domino.
Natoque, qui à mortuis
Surrexit ac paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

Quo hymno absoluto, inchoat Missam de die, in qua accipit mittã, dum manus abluit. Post sumptam Communionem Archiepiscopi, Moniales omnes clara voce dicunt Confessionem, & interim Confessarius

Mo-

Monasterij, cotta, & stola indutus aperit ostiolum tabernaculi, & extrahit pixidem cum sanctissima Eucharistia, nisi facta fuerit consecratio in Missa ab Archiepiscopo: post confessionem Archiepiscopus clara voce dicit. Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus. ℟. Amē. Et accepta pixide procedit ad fenestellam dicentibus Monialibus ter, Domine non sum digna, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo tuo, & sanabitur anima mea. Et communicat primo Nouitiam, deinde alias, quæ omnes antequam Sacramentum accipiant, annulum Archiepiscopi osculantur. Communione absoluta, redit ad altare, Confessarius recondit Sacramentum, abluit digitos, & perficitur Missa, deinde accepta mitra, & baculo pastorali vadit ad faldistorium, exuit planetam, & manipulum, induitque pluuiale, & accedens ad fenestellam deposita mitra dicit preces, & orationes infrascriptas supra Nouitiam ibidem in interiori ecclesia genuflexam.

Reue-

Reuer. ſtans ſine mitra.

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.
℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Congrega nos Domine de nationibus.
℟. Vt confiteantur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua.
℣. Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitũ tuũ.
℟. Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.
℣. Saluam fac ancillam tuam Domine.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.
℟. Et de ſyon tuere eam.
℣. Eſto ei Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem noſtram.
℟. Et clamor noſter ad te perueniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, rex regum, & dominus dominantium, qui à patre egrediens, & hunc mundum ingrediens, carnem mundiſſimam, de immaculata Virgine ſuſcepiſti, vt nos liberares de manibus inimici, & ad paradiſi patriam reuocares; reſpice ſuper hanc famulam .N. quæ mundum cum

pom-

pompis suis dereli nquere disposuit,& in hoc sacro mo nasterio tibi Domi no Deo suo vero sacrarum animarũ sponso facias perpetuò deseruire,ac infunde cordi suo benignissimam gra tiam spiritus Sancti, quæ eam illuminet, ad te Deum creatorem suum cognoscendum, ac perfectè diligendum, vt cum dies,finisque vitæ eius aduenerit, emundata ab omnibus peccatis suis, ad regna valeat cœlestia peruenire. Qui viuis, & regnas cũ Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oratio ad tonsuram.

ORemus dilectissimi fratres, & sorores Dominum nostrum Iesum Christum pro hac famula sua N. quæ ad deponendam comam capitis sui pro eius amore festinat; vt donet ei Spiritum Sanctum, qui habitum religionis in ea perpetuò seruet, & à mundi impedimentis, ac sæcularibus desiderijs cor eius defendat, vt, sicut in capite mutatur, & vultu, ita dextera manus eius virtutis illi tribuat incrementum, & ab omni cæcitate spirituali oculos eius aperiat, sibiq; æternæ gratiæ lumen infundat. Qui viuit, & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Finita oratione Rever. sedens cum mitra incidit aliquot crines puellæ, tum Moniales capillorum omniũ tonsuram perficiunt, interim choro canente Antiphonam sequentem.

Hæc accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo, quia hæc est generatio quærentium Dominum quærentium faciem Dei Iacob. *Psal. 23.*

Completa tonsura Reuerendissimus præbet habitum probationis dicens.

SVme filia hanc stolam. vt induas Christum, atque in eius cognitione renoueris: inde sicut electa Dei viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, charitatem, quæ est vnitatis vinculum, vt nemini quicquam debeas, sed inuicem sorores tuas diligas, nec gratiæ alicuius inuideas; sed quò probatiorem videris, imiteris, vt sit in te pax Christi, & gratia, & verbum Dei habitet in corde tuo, atq; huius mundi fugias contagiones: semel mundo mortua; ne quæso tetigeris, quæ sunt huius sæculi, ne attamineris ab ijs, sed semper in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, abducas te ab huius sæculi conuersatione, non homini, sed Deo cantans, & sicut sancta faciebat Maria, conferens in corde suo. Quasi bona quoque agnicula rumines in corde tuo præcepta diuina, vt dicas & tu, excerbor in mirabilibus tuis, nec dormitet anima tua præ tædio. Huiusmodiquè stola induta, affer deinde epulas ad Patrem, vt dicat; Quid est, quod tam cito venisti filia? laudet in tenera adhuc ætate prudentiam, piæ quoque deuotionis affectum, & dicat tibi: Accede ad me filia, odoratusq; odorem vestimentorum tuorum benedicat te, dicens. Ecce odor filiæ meæ, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus, & det tibi Dominus à rore cœli desuper, & ab vbertate terræ abundantiam, atque his adiungat. Qui maledixerit tibi, maledictus erit, & qui benedixerit tibi benedictus erit.

Dum Puella exuit vestes laicas Reuer. dicat.

Reuer.

Reuer. Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. ℟. Amen.

Dum induitur vestibus regularibus dicat.

Reuer. Induat te Dominus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. ℟. Amen.

Induta Virgo dicit.

Virg. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me.

Reuerendissimus tradens velamina dicat.

Reuer. Succingat crinem tuum modestia, sobrietas, continentia, vt virtutum accincta comitatu, purpureo Dominica sanguinis redimita velamine, mortificationem Domini Iesu in carne tua circunferas.

Virg. Domine Domine virtus salutis meæ obumbrasti caput meum in die belli, non tradas me Domine à desiderio peccatori.

Deinde Reuer. præbet lumen accensum dicens.

Reuer. Sit lucerna ardens in manibus tuis, vt cum venerit sponsus, exire possis obuiam ei, & intrare cum eo ad nuptias.

Virg. O quando vox dilecti mei; surge propera amica mea & veni, quia ego ipse, qui loquor, ecce adsum: veniat qui venturus est, & non tardet. *Cant. 2.*

Tunc Reuer. imponit ei coronam, & dicit.

Reuer. Certa filia bonum certamen, cursum consuma, fidem sponso tuo serua, vt in reliquo reposita sit tibi corona iustitiæ. *2. Thim. 4.*

Virg. In Deo faciam virtutem, & ipse ad nihilum *Psal. 107.*

rediget inimicos meos, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem, iste Deus meus, & glorificabo eum.

Hic completus Rector, stans sine mitra dicit super Nouellam, orationem sequentem. Oratio.

TVere quæsumus ancillam tuam N. pater charitatis, & gloriæ, vt quasi in horto clauso, & fonte sigillato teneat claustra pudicitiæ, signacula veritatis: Agrum suum colere nouerit, quem colebat sanctus Iacob, & sexagesimos, & centesimos quoque fructus capescat in huius virtutibus, & fortitudinibus agri: suscites in ea gratiam, & resuscites charitatem: Inueniat quem dilexit, teneat eum, nec dimittat, donec bona illa vulnera charitatis excipiat, quæ epulis præferuntur: semper parata noctibus, & diebus toto spiritu mētis inuigilet, nec vnquam Dæmon eam inueniat dormientem. Et quoniam vult, se dilectus tuus sæpius quæri, vt adsit Deo, vigilet cor eius, caro dormiat, ne malè incipiat vigilare peccatis. Tu Domine adiunge alios castitatis ornatus: adiunge sedulos pios cultus, vt nouerit possidere vas suum, nouerit humiliari: dilectionem teneat, veritatis murum, pudoris septum: Non pineæ velamen eius; non vincant cupressi: non vincant turtures pudicitiam eius; simplicitatem eius non vincant columbæ: sit in corde simplicitas; in verbis modus; erga omnes pudor, pietas erga propinquos; circa egenos, & inopes misericordia; quod bonum est teneat, ab omni specie abstineat mala, veniat super eam benedictio morituri, & os vidue benedicat eam. Pone vt signaculum verbum

tuum

tuum in corde eius, Christo eluceat, Christum intendat, Christum loquatur. Aquæ multæ non possint *Cant. 8.* eius extinguere charitatem, nec persequutio, nec gladius, nec periculum, sed confirmata in omni verbo, & opere bono, gloriam tuam induat, & in tua gratia conseruetur in hoc mundo: sanctifices eam in veritate, in virtute confirmes, in charitate connectas, atque ad illam cœlestem gloriam pudicitiæ, & integritatis coronam illibatam, immaculatamque diuino tuo fauore perducas, vt illic Agni tui sequatur vestigia, in meridiano pascat, in meridiano maneat, nec in greges sodalium incidat, sed agnis tuis adiuncta sine offensione versetur, comes virginum, pedisequa Mariarum. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum, & cum Spiritu tuo viuit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Deinde accepto aspersorio, & illam aliasque Moniales circumstantes aspergendo dicit.

Reuer. Benedicat te Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, benedictione qua patres nostros benedicere dignatus est, Abraham, Isaac, & Iacob, & exaltet te Dominus in sanctitatem, & dilectionem, & impleat omnes petitiones tuas. Qui viuit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Virgo

Virgo surgens dat osculum pacis Præfectæ, tum alijs omnibus Monialibus, quæ interim cantant Psalmum infrascriptum. Psalmus 132.

ECce quam bonum, & quàm iucundum: habitare fratres in vnum.

Sicut vnguentum in capite: quod descendit in barbã, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem: & vitam vsque in sæculum.

Gloria patri & filio. &c. Sicut erat &c.

Reuer. Recedit ad faldistorium, & psalmo absoluto stans sine mitra, delata ante eum Cruce, cum baculo Pastorali dat benedictionem solemnem, vt in fine huius libri. Deinde Moniales omnes vadunt ad locum, vbi sermones audire solent, Archiepiscopus vero depositis paramentis accedit ad prædictum locum, & sermonem habet ad libitum.

DE RITV EMITTENDAE, RECIPIENDAEQ; PROFESSIONIS.

DIE, qua Nouitia ad professionem recipienda erit, hora congruenti, ante accessum Archiepiscopi, Moniales omnes procedunt ad Ecclesiam interiorem, Præfecta vltimo loco prosequente, & Nouitiam perducente, canentes simul. Psal. 39.

EXpectans expectaui Dominum: & intẽdit mihi.
Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis.
Et statuit super petram pedes meos: & direxit gressus meos.
Et immisit in os meum̃ canticum nouum: carmen Deo nostro.
Videbunt multi, & timebunt: & sperabunt in Dño.
Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius: & non respexit in vanitates, & insanias falsas.
Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis tibi.
Annuntiaui, & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.
Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.
Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce venio.
In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

An-

Annuntiaui iustitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.

Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuã: à concilio multo.

Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circundederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine, vt eruas me: Domine ad adiuuandum me respice.

Confundantur, & reuereantur simul qui quærunt animam meam: vt auferant eam.

Conuertantur retrorsum, & reuereantur: qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent, & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligũt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus sollicitus est mei.

Adiutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris.

Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat &c.

Archi-

Archiepiscopus hoc tempore venit ad Ecclesiam, & recipitur, vt supra dictum est, orat ante Altare, mox in faldistorio strato induitur paramentis pro Missa de die celebranda, coloris officio Missæ congruentis, in qua Sacrosanctam Euchatistiam Monialibus administrat, primum Nouitiæ, deinde cæteris omnibus.

Absoluta Missa recedit ad prędictum faldistorium, deponit planetam, & manipulum, accipitq; pluuiale albi coloris, & mitram simplicem, & aliquantulum sedens quiescit, tum deposita mitra stans benedicit clamidem, & velamina in Altari posita, vel coram eo ab Acolytho decenter exhibita.

Benedictio Clamidis, & Velaminum.

℣. Deus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad addiuuandum me festina.
Gloria Patri &c. Sicut erat. &c. Alleluia.
Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio super clamidem.

DOmine Iesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es; obsecramus immensam pietatem tuam, vt hoc genus vestimẽti, quod Sancti Patres nostri ad mundi contemptum, & in humilitatis indicium abrenunciantibus sæculo, ferre sanxerunt; tu ita bene ✝ dicere, & sancti ✝ ficare digneris, vt hæc famula tua N. quæ illo vsa fuerit,

re dominum, & saluatorem suum induere mereatur. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio super Velamina.

DOmine Iesu Christe filij Dei viui, cuius Apostolus muliebrem sexum in signum subiectionis, humilitatis, & honestatis, velamem super caput suum propter angelos habere præcepit, cuiusque oculos tempore acerbissimæ passionis ruæ ad opprobrium peccatores impij velauerunt, quæsumus, propter gloriam honorandi nominis tui tam copiosam benedictionis tuæ super his velaminibus infunde virtutem, quòd famulam tuam. N. illa gerentem, tibi subiectam in omnibus, & cuicunque tenetur ex ordine, quem assumit, efficiant; ne proprias virtutes, & bona concernens in gloriam elata te perdat, sed in vera humilitate conseruent, & obumbrent, ab omni etiam oculos eius vanitate compescant, & demũ tur pissimæ mortis tuæ dulcis sponsi sui memoriam hoc viduitatis indicium sæpe oculis mentis eius repræsentent, & radicibus cordis continuò recolendam tenacius astringant, vt cum hac galea salutis, tanquam socia passionis tuæ, consolationem tecum æternam, cum omni curia cœlesti semper valeat experiri. Qui viuis, & regnas cũ Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Finita benedictione aspergantur aqua benedicta, & incensantur, ritu vsupra dictum est.

His peractis Reuerendissimus acceptata mitra, &

Baculo

baculo Pastorali vadit ad fenestellam, vbi genuflexa adesse debet Nouitia; quæ omnia præstat, vt instà.

Reuerendissimus sedens cum mitra dicit.

AVdi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum; quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua: Sacrifica sacrificium iustitiæ, & spera in Domino. Tolle iugum Christi super te, & disce ab eo quia mitis est, & humilis corde, & inuenies requiem animæ tuæ: iugum enim eius suaue est, & onus eius leue. *Psal. 44.* *Psal. 49.* *Math. 11*

Nou. In me sunt Deus vota, quæ reddam laudationes tibi, voluntaria oris mei beneplacita nunc fac tibi, & iudicia tua doce me: bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti: & sic psalmum dicam nomini tuo, vt reddam vota mea de die in diem. *Psal. 55.* *Psal. 118.*

Reuer. Vis Regulam Beati N. profiteri?

Nou. Volo.

Reuer. Deo gratias.

Deinde stans cum mitra subdit benedictionem super eam dicendo.

Omni benedictione spirituali benedicat te omnipotens Deus ✠ Pater, ✠ & Filius, ✠ & Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

Nouitia accepta benedictione statim à fenestella recedens se competenti spatio retrahit, & versus Reuerendissimum D. Domi se prosternit, faciem suam super ambas manus suas coniunctas, & expansas deponens, & dum prostrata manet panno aliquo nigro à

Monialibus contegitur, & dum surgit ab ijsdem detegitur. Nouitia ergo sic humi procumbente.

Reuer. stans sine mitra dicit submissa voce.

Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluam fac ancillam tuam Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te perueniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

REspice quæsumus Domine propitius super hãc famulam tuam, vt sanctæ virginitatis, vel professionis propositum, quod te inspirante suscepit, te protegente illæsum custodiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde sedens cum mitra dicit.

Reuer. Surge filia, & orna lampadem tuam, ecce sponsus venit, exi obuiam ei. *Mat. 25.*

Quo dicto Nouitia, sublato panno à Monialibus, aliquantulum versus Reuer. D. procedens dicit.

Nou. Ecce venio ad te dulcissime Domine, quem amaui, quem quæsiui, quem semper optaui: suscipe igitur me secundum eloquium tuum, & viuam, & ne confundas me ab expectatione mea. *Psal. 118.*

Hoc completo iterum procumbit, & cooperitur, vt supra, tum Archiepiscopus secundò eam vocat paulisper voce elenando dicens iterum.

Reuer. Surge filia, & orna lampadem tuam, ecce sponsus venit, exi obuiam ei.

No-

Nouitia secundò surgit, & aliquantulum procedẽs iterum dicit voce parumper eleuata.

Nou. Ecce venio ad te dulcissime Domine, quem amaui, quem quæsiui, quem semper optaui: Suscipe igitur me, secundum eloquium tuum, vt viuam, & ne confundas me ab expectatione mea.

Tum iterum se prosternit, & contegitur vt supra, & Archiepiscopus eam tertiò vocat, voce adhuc clariore dicens.

Reuer. Surge filia, & orna lampadem tuam, ecce sponsus venit, exi obuiam ei.

Nouitia detecta, surgit, & tertiò respondet voce magis eleuata.

Nou. Ecce venio ad te dulcissime Domine, quem amaui, quẽ quæsiui, quem semper optaui: Suscipe igitur me, secundum eloquium tuum, vt viuam, & ne confundas me ab expectatione mea.

Quo facto Archiepiscopus dicit.

Reuer. Veni sponsa Christi, accipe coronam desideratam, quam tibi Dominus præparauit in æternum.

Interim Nouitia accedit ad fenestellam, & genuflexa dicit.

Nou. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. *Luc. 1.*

Tum accedens ad Priorissam, quæ debet sedere iuxta fenestellam, genuflexa iunctis manibus in manibus Priorissæ facit professionem dicens alta voce.

For-

Formula professionis.

Nouitia.

EGO soror .N. voueo, & promitto Deo omnipotenti, & beatæ Mariæ Virgini, & beato .N. & omnibus sanctis, & tibi Matri viuere sub Regula beati .N. toto tempore vitæ meæ in obedientia, sine proprio, & in castitate, & etiam sub perpetua clausura.

Priorissa respondet.

Et ego si hæc obseruaueris tibi promitto vitam æternam.

His peractis Reuerendissimus accepto velamine illud tradit Nouitiæ dicens.

Reuer. Accipe soror carissima velamen sacrum, quod perferas ante tribunal iudicis æterni, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum, quo cognoscaris mundum contempsisse, & te Christo veraciter, humiliterque toto cordis annixu sponsam perpetualiter subdidisse, qui te ab omni aduersitate defendat, & ad vitam æternam perducat. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Velata Nouitia dicit hanc Antiphonam.

Nou. Posuit signum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.

Finita Antiphona Reuerendissimus stans, deposita mitra, dicit orationem sequentem.

Oratio

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens æterne Deus huic famulæ tuæ N. cuius capiti hodie velum sacra mortificationis insigne te inspirante tradidimus, vt in tua dilectione perpetuò maneat, & eam sine macula vsque in finem cœlesti benedictione custodias. Per Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea sedens, accepta mitra, tradit Nouitiæ clamidem, & dicit.

Reuer. Accipe soror carissima hoc sacrum indumentum in signum nuptialis vestis, quod perferas sine macula ante thronum Domini nostri Iesu Christi, quo merearis ad mensam æterni conuiuij sedere cum eodē Domino nostro Iesu Christo animarum sanctarū sponso in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dum Nouitia induitur subdit.

Reuer. Recede iam filia de voluptate sæculi, & indue te constantiæ virtutem, depone vestimenta huius sæculi, & indue te tunica perpetuitatis, & ambula in habitu sancto cum verecundia, sobrietate, & grauitate. *1. ad Thi. 2.*

Nou. Expoliaui me tunica mea, quomodo induat illam? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? *Cant. 5.*

Dum Reuer. porrigit lumen accensum dicit.

Reuer. Quasi lux splendens procedat semita tua, & crescat vsque ad perfectam diem. *Prou. 4.*

Nou. Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis, gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniquitas. *Psal. 118.*

Dum

Dum porrigit lilium dicit.

Cant. 2. Sicut lilium inter spinas; sic esto amica Christi inter filias.

Cant. 6. Nou. Veniat dilectus meus in hortum suum, vt ibi pascatur, & lilia colligat.

Reuer. Pulchra facta es filia, & decora in delitijs,

Cant. 4. ne dilectus tuus loquitur tibi. Veni de libano sponsa mea, Veni de libano, Veni coronaberis.

Psal. 56. Nou. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: Ecce famula tua sit in ancillam tuam, vt lauet pedes seruorum Domini sui.

Dum porrigit Coronam dicit.

Esa. 61. Quasi sponsam decoret te corona Dominus.

Nou. Benedic anima mea Dominum, & omnia in-

Psal. 102. teriora mea nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui coronat te in misericordia, & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum.

His peractis Nouitia cum sororibus cantat sequentem Antiphonam.

Ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur: ipsi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotione committo.

Cantata Antiphona Reuerendissimus stans sine mitra orat super illam hoc modo.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

EGredere Domine Iesu in die sponsalium tuorum, suscipe iam dudum deuotam tibi spiritu, nunc etiam professione, imple agnitione voluntatis

tuæ,

tuæ, assume ab initio in salutem, in sanctificatione spiritus, & fide veritatis, vt dicat famula tua, tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & in gloria assumpsisti me: aperi manum tuam, & imple animam eius benedictione, vt saluam facias sperantem in te, & fiat vas in honorem, sanctificatum vtile Domino, ad omne opus bonum probatum per illam æternalem crucem, per illam venerabilem gloriam Trinitatis, cui est honor, gloria, perpetuitas Patri, & Filio, & Spiritui sancto à sæculis nunc, & semper, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Deinde accepto aspergillo illam aspergit aqua benedicta dicens.

Benedicat te Dominus ex Syon, & videas quæ bona sunt Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Tum canitur Hym. infrascriptus. & interim professa dat osculum pacis Præfectæ Monasterij, & alijs omnibus Monialibus. Archiepiscopus verò recedit ad faldistorium, & stans sine mitra expectat donec hymnus perficiatur.



Te De um lau da mus,
Te dominum confitemur.
Te æternum patrem: omnis terra veneratur.
Tibi omnes angeli: tibi cœli, & vniuersæ potestates.
Tibi Cherubin, & Seraphin: incessabili voce proclamant.
Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus Sabbaoth.
Pleni sunt cœli, & terra: maiestatis gloriæ tuæ.
Te glorioſus apoſtolorum chorus.
Te prophetarum laudabilis numerus.
Te martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum ſancta confitetur eccleſia.
Patrem immenſæ maieſtatis.
Venerandum tuum verum, & vnicum filium.
Sanctum quoque paraclitum ſpiritum.
Tu rex gloriæ Chriſtæ.
Tu patris ſempiternus es filius.
Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horuiſti virginis vterum.
Tu de victo mortis aculeo, aperuiſti credentibus regna cœlorum.
Tu ad dexteram Dei ſedes in gloria Patris.
Iudex crederis eſſe venturus.
Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Aeter-

A eterna fac cum sanctis tuis, in gloria numerari.
Saluum fac populum tuum domine, & benedic hereditati tuæ.
Et rege eos: & extolle illos vsque in æternum.
Per singulos dies benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in sæculum: & in sæculum sæculi.
Dignare domine die isto: sine peccato nos custodire.
Miserere nostri domine: miserere nostri.
Fiat misericordia tua domine super nos: quemadmodum sperauimus in te.
In te domine speraui non confundar in æternum.

Hymno absoluto, delata cruce ante Archiepiscopum, & oblato baculo pastorali dat solemnem benedictionem, cui, vbi commode, & rite potest, respondetur in cantu, vt infrà.

Benedictio

Reuer. Sit nomen Domini benedictum.

Cantus.



Ex hōc nunc & vſque in ſæ culum.

Altus.

Ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

Tenor.



Ex hoc nunc & vſque in ſæ culum.

Baſſus.



Ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

Reuer. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

Cantus.



Qui fecit cælum & ter ram.

Altus.



Qui fecit cælum & terram.

Tenor.



Qui fecit cælum & ter ram.

Baſſus.



Qui fecit cælum & terram.

Benedictio.

Rever. Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, ✠ & Filius, ✠ & Spiritus ✠ Sanctus.

Cantus.



Altus.



Tenor.



Bassus.



Post benedictionem Moniales omnes vadunt ad locum, quem vulgo dicunt Parlatorium, ibidemq; expectant Archiepiscopum, qui depositis paramentis facta oratione ante Altare accedit ad prædictum locum, vbi sermonem habet præcipuè de misterijs sacrarum cæremoniarum, quas in professione emittenda, & accipienda adhibitæ fuerunt.

Laus Deo, & Beatæ Mariæ Virgini.



9151485
10 09 2021

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] mensis
tuba. quia preceptum in israel est iu
dicium deo iacob. ps. Testimo
nium in ioseph posuit illud cum
exiret de terra egypti linguam
quam non nouerat audiuit. Vbi
Oremus. Flectamus ge. Le.
Misericordie tue. Oro
remediis quas domine
fragilitas mea subsistat. ut
que sua conditione atterit.
tua clementia reparetur. P.
Letio amos prophete.
Hec dicit dominus
deus. Ecce dies
ueniunt [illegible] prehendes ara
[illegible]

[illegible] respicit
[illegible] Suscitabis a ter
ra [illegible] de stercore en
[illegible] Sequitur
[illegible] sine. Fle. ge. Le.
P[illegible] domine fa[illegible]
milie tue supplicanti
ut dum a cibis corpo
ralibus se abstinet. a uitiis
mente ieiunet. P. Letio li
bri hesdre
In diebus
illis. Congregatus est omnis
populus qui uir unus ad pla
team que est ante portam
aquarum. Et dixerunt hesdre
scribe. ut afferet librum
legis moysi quem precepit
dominus israel. Attulit
ergo hesdras sacerdos li
brum coram multitudine